

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 19: De laude divina (9)

Hugo in libro de claustro anime:

Cum ad laudandum deum in ecclesia convenistis, humilitatis honestas diligentius observetur, ut qui in ecclesia ante conspectum dei convenimus, ibidem deteriores non simus. Sunt enim quidam, qui mente vagi, actione oculis, mente habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant, et aliud cogitant. In choro sunt corpore, sed in foro mente. Nunc intus sunt, nunc foras exeunt, nec tantum intus dissoluti, sed etiam cum foras exierint curiosi et vagi. Psalmodie verba proferunt, sed psalmodie sensum non attendunt. Unde beatus Gregorius: Vox, inquit, psalmodie omnipotenti domino ad cor iter parat, ut intenti menti, vel prophetie mysteria, vel gratiam compunctionis infundatur. Item in eodem: Dum, inquit, per psalmodiam compunctio nobis infunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Ihesum pervenitur. Sed etiam alii voce dissoluti, qui vocis sue modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratie, sed etiam illos spernunt, quos devotiores cernunt, tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant, et aliud forsitan iterum dicturi, ut sint illud idem iterum cantaturi. Quanta est levitas vocis forsitan et mentis. Cantant forsitan ut placeant populo magis quam deo. Qui sic cantant, non cantant in choro cum Maria sorore Moysi, sed in palatio cum Erodiade, ut placeant discumbentibus vel Herodi. Timeo autem ne sicut delectantur in altitudine vocis, delectentur etiam elatione mentis. Nemo tamen altius cantat eo quem dominus audire consuevit de monte sancto suo, nemo dulcius quam cui inclinatur deus aurem suam. Voce mea, inquit, ad dominum clamavi et exaudivit me de monte sancto suo. Esto igitur in valle humilitatis, ut in monte sancto audiri merearis. Si sic cantas, ut a labiis laudem queras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam sed alienam.

Habes in potestate tua vocem tuam, habeto et animum, frangis vocem, frange et voluntatem, servas consonantiam vocum, conserva concordiam morum, ut per exemplum concordet proximo, per voluntatem deo, et per obedientiam magistro, et hec est bona concordia et deo acceptissima.

Cum non solum in caeteris officinarum locis, verum etiam in omnibus motibus nihil fiat, quod cujusquam offendant aspectum, congruum mihi fore videtur, ut maxime in ecclesia cum ante conspectum Dei convenimus, ne ibidem deteriore simus. Sunt enim quidam, qui mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant, et aliud cogitant. In choro sunt corpore, sed in foro mente; nunc intus sunt, nunc foras exeunt; nec tantum intus dissoluti, sed etiam cum exierint foras curiosi. Psalmodiae verba proferunt, sed psalmodiae sensum non attendunt. Unde beatus Gregorius. «Vox, inquit, psalmodiae cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut intentae menti, vel prophetiae mysteria vel gratia compunctionis infundatur.» Idem in eodem: «Dum, inquit, per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine pervenitur.» Sunt etiam alii voce dissoluti, qui vocis suae modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratiae, sed etiam alios spernunt tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant, et aliud forsitan iterum dicturi, si sint illud idem iterum cantaturi. Tanta est levitas vocis, forsitan et mentis. Cantant forsitan, ut placeant populo magis quam Deo. Qui sic cantant, non cantant cum Maria sorore Moysi, sed in palatio cum Herodiade, ut placeant discumbentibus vel Herodi. Timeo autem, ne sicut delectantur altitudine vocis, delectentur etiam elatione mentis. Nemo tamen altius cantat eo, quem Dominus exaudire consuevit de monte sancto suo, nemo dulcius quam cui Dominus inclinatur aurem suam. Voce mea, inquit David, ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo (Psal. III). Esto igitur in valle humilitatis, ut in monte sancto exaudiri merearis. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quaeras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam sed ementi suam. Cave ne monasterium veritas in theatrum. Habes in potestate tua vocem tuam, habeto et animum, frangis vocem, frange et voluntatem, servas consonantiam vocum, conserva concordiam morum, ut per exemplum concordet proximo, et per voluntatem Deo, per obedientiam magistro: haec est concordia morum.

Hugo de Folieto, *De claustro animae libri quatuor*, 2.22 (PL 176, col.1080B-1081A).